

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XV. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Samaritanus contribules suos non exspectabat, nec per ingratitude ipsorum à gratiarum actione abstrahatur. Sic tu solus revertere, dans gloriam Deo. Quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. v. 13.

Samaritanus magnâ voce magnificans Deum cecidit in faciem ad pedes Jesu, gratias agens ei. Sic & tu confitere Deo in directione cordis, Psal. 119. v. 7. dicens: Paratum cor meum, Deus, paratum cor

meum, cantabo & psallam in gloria meâ, Ps. 108. v. 1. seqq.

Hoc si fecerimus, Christus die novissimo fidem quoque nostram prædicabit, quæ medium illud est, per quod liberamur dum in hoc mundo vivimus. Et tunc transferet nos è valle tribulationis in palatium cæleste. Oculi enim ejus respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. hanc qui habet, vincit mundum, 1. Joh. 5. 4. habetq; vitam æternam, quam Deus nobis omnibus largiatur.

Amen.

## DOMINICA XV. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 6. 20, 24. -- 35.*

### EXORDIUM.

**S**apientia & divitiis inclutus Rex Salomo, non citius domum sibi construxit, quàm structuram Templi Hierosolymitani absolvisset, ut constat ex 1. Reg. 6. & 7.

Hoc mysticè interpretabimur.

Sicut enim homo ex duabus partibus essentialibus constat, corpus è terra formatur, & in terram revertitur, Genes. 3. v. 19. Anima verò immortalis est, & corpore moriente, illa non moritur, sed redit ad Deum qui dedit illam, Eccles. 12. v. 7. Ita etiam duplicem curam adhibeam, quarum altera animam, altera corpus concernat. Anima eget spiritali nutritione, verbo nempe Dei & Sacramentis, hinc Hiskias Rex: Domine, in illis vivent, & in omnibus illis est vita Spiritus mei, Esa. 38. v. 16. & David: Secundum multitudinem cogitationum mearum in corde meo, consolatio-

tionem tuam lætificaverunt animam meam, Psal. 94. v. 19. Corpus verò indiget aquâ & pane, & vestimento quo tegit ea, quorum nos pudet, Sir. 29. v. 28.

Hunc in finem Deus quoque duas domus ordinavit, quarum beneficio utramq; partem, & animam & corpus procurare possimus. Templum est animæ domus, ubi spiritalis victus distribuitur, nempe vera Manna & aqua vitæ, qui manducaverit ex hoc, nunquam esuriet, & qui biberit ex hac, non sitiet in æternum, Joh. 6. v. 51. c. 4. v. 14. Corpus autem quod attinet, hinc quilibet ædes suas habet, in quibus negotia sua obire potest, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur: hoc Deo non ad versum est, modò quilibet intra cancellos vocationis se contineat, neque supergrediatur, 1. Thess. 4. v. 6. ut verum evadat illud Prophetæ: sicut cavea plena avibus:

*Quadrat in. huc Exordium, qd supra p. 313. repit Domin. 1. post Trin. sic*

fic domus eorum plenæ dolo, Jer. 5. v. 27. Tales enim opes in maledictione sunt, Mal. 3. v. 9.

Sicut igitur omnia tempus suum habent, Eccl. 3. v. 1. Ita ante omnia animæ curam geramus, domum Domini sedulo invisentes. Salva animam tuam, dicit Angelus ad Lothum, Gen. 19. v. 22. Deinde majori cum successu labori operam dare, & quæ ad corporis sustentationem pertinent, acquirere possumus, sicut Petrus post auditum verbi laxavit rete suum, & conclusit piscium multitudinem copiosam, Luc. 5. v. 6. Quando verò domus Domini deserta est, & unusquisque festinat in domum suam, verum fit illud Haggai: Seminastis multum & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedis congregavit, misit eas in sacculum pertusum, cap. 1. v. 6.

Hæc de re verba facit Servator noster in prælectâ Pericope, quando discipulos suos à servitio Mammonæ dehortatur, & tandem ita concludit: Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus &c.

Videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

**H**Erbergerus in Postilla suâ Dom. IX. post Trinitatis recenset, quod aliquando Mammonæ servus die Saturni Calendarium inspexit, quò videret, qua-

le Evangelium sequenti Dominica explicaretur. Videntens verò, esse Evangelium de iniquo villico, dixisse: Non accedo hæc vice templum, Pfaff hinc Pfaff her. Ex quo apparet, filios hujus seculi invitos audire, si iniquæ eorum machinationes ex suggestu reprehendantur, præcipuè quod avaritiam & fœnora concernit. Tales enim plerumque pietatem præ se ferunt, & benedicunt, h. e. felices deprædicant se, quando opibus terrenis à Deo cumulantur, Psal. 10. v. 3.

Quia verò Christus ipse hæc de re prædicavit, nemo nobis vitio verter, si officii nostri memores, his Mammonæ servis stimulum aliquem immittamus, si ve audiant, si ve negligant, Ezech. 3. v. 11.

Querela respicit

I. *Syncretisimum*. Nemo, inquit Servator, potest duobus Dominis servire, intellige sibi invicem contrariantibus. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliger, aut uni adharebit, & alterum contemnet. Hoc declarari potest exemplo Josephi, is à fratribus suis in Ægyptum divenditus, bonum ibi habebat Dominum, qui propter fidelitatem suam eum adamabat, & universæ domui præficiēbat. Quia verò Heri ejus amore meretricio illum à fide Heri avertere satagebat, quo ipso Herum suum graviter offendisset, hoc modo utrique servitice non poterat, sed incurrebat inimicitiam Heræ, quæ illum falsò deferebat apud Dominum, unde aliquamdiu in vinculis ipsi erat jacendum, donec innocentia ejus in aprieum producta fuit, Gen. 39. v. 4. seq.

Ejusmodi Syncretistæ sunt

I. Illi, qui apud Magnates summa officia administrant, & nihilominus ab aliis, qui tamen

tamen Dominorum suorum sive publici sive clandestini hostes sunt, munera & stipendia accipiunt. Ideoque sæpè consulunt & inserviunt Dominis suis eâ fide, quâ vix proditor pessimus illos turpius prodere posset, ut Lutherus dixit. Quale exemplum in Semaiâ filio Delaiæ cernimus, qui accepta pecunia, ab hostibus populi Dei, conabatur abstertere Nehemiam à structura templi Hierosolymitani cœpta.

2. Militiæ Duces, & propugnaculorum Præfecti, qui ab hoste corrupti, deditionem faciunt, aut connivent, ubi hosti damnum inferre, vel planè ex acie prostrigate possent, cum summo Domini sui dispendio.

3. Advocati illi, qui utrique parti inserviunt, & emolumenti sui gratia causas protrahunt. Tales vocat B. Lutherus argenteos JCros, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, Esa. 5. v. 20.

Præcipuè verò in Ecclesiasticis locum planè non habet, ut utrique dissentientium parti assentiri, hoc est, in duas partes claudicare, & Deo, & Baalim simul servire velis, quod Elias dudùm in Israëlitis culpavit, 1. Reg. 18. v. 21.

Notent hoc illi, qui hætenus in Religionis negotio conciliando magno studio desudarunt, utrum id salva conscientia fieri posse putent. Quamvis enim pia & Christiana concordia magnoperè opranda foret, at tamen quomodo fieri possit non video, quamdiu adversa pars erroribus suis adèò tenaciter ut hætenus inhaerere pergit. Quia enim tam in Pontificia quàm Reformatorum Ecclesiâ fundamentum fidei dilucidè evertitur, ut probatu facile est, talis fraternitas omninò respicienda videtur, nî Christum & veritatem

cœlestem inimicis Crucis Christi prodere velis. Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum dispergit, Luc. 11. v. 23. Apoc. 3. v. 16.

II. *Mammonismum*, cui illi dediti sunt, qui colligunt thesauros cum labore, adèò ut omnia prudentiæ & diligentia suæ adscribant, & ita vel Deo invito ditescere fatagunt. Idèò sacrificant reti suo, Hab. v. 6. dicentes: Hoc ego feci, ut Nebucadnezzar, Dan. 4. v. 27.

Quando verò illis res succedit, ut quicquam colligant benedictione Dei, quâ Deus impios quoque ornat, ut confortentur divitiis, Job. 21. v. 7. tamen thesaurum illum possident cum timore, nec audent sibi ipsis, nedum aliis inde benignè facere, sed in imagine pertranseunt, & frustra perturbantur: thesaurizant & ignorant, cui congregabunt ea, Plal. 39. v. 7. De talibus ait Siracides, c. 14. v. 3. seqq.

Tandem si per mortem, vel alium fortunæ casum divitias tuas relinquere coguntur, omni solatio destituuntur, nam quod pro Deo habuerunt, evanuit: in super ex propriæ conscientia dictamine norunt, quod post mortem nil nisi paupertatem & miserias cum divite epulone expectare possint, Luc. 16. v. 24. Propterea ait Servator: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum cœlorum. Erit enim dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum. Auditis autem his, discipuli obstupuerunt valdè, dicentes: Quis ergò poterit salvus esse? Adspiciens autè Jesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autè omnia possible sunt, Matt. 19. 23. seq. q. d. Servator:

cor humanum per peccata aded depravatum est, ut terrena modo sapiat: verum Deus corda immutare valet, ut omnia propter Christum arbitrentur detrimenta, Phil. 3. vers. 7. cum Assapho dicentes: Quid enim mihi est in caelo &c. Psal. 73. v. 25. 26.

Rogemus igitur Deum, ut largiatur nobis cor *aurapric*, est enim magnus questus, animus cum sua forte contentus. Qui vero divites volunt fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli &c. 1. Tim. 6. v. 6. seqq.

III. *Atheismum*, quo multorum corda occupantur, ut non credant, Deum in caelo esse, qui ipsos sustentare possit, licet media non adsint, quae quoad externam speciem requiruntur: hinc ait Servator: Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester caelestis, quia his omnibus indigetis.

His verbis vocationis cura, quam Deus cuique demandavit, ne utique prohibetur, pastori enim incumbit cura pro ovibus, Joh. 10. v. 12. & animarum pastori, pro animabus sibi concreditibus, Hebr. 13. v. 17.

Magistratus curam gerat subditorum suorum, Rom. 12. v. 8. & Pater familias domesticorum, 1. Tim. 5. v. 8. Sic omnis mechanicus cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit imperfectionem, Sir. 39. v. 31. Et ut summam dicam, quilibet dolere tenetur pro peccato suo, Psal. 38. v. 20.

Ejusmodi igitur cura minimè hic interdicitur, sed praepostera illa dubitationis

cura, quae in multis reperitur, ut diligentes quidem sint in vocatione sua, sed disfidunt Deo, semper de futuro se macerantes, & metuentes, ne fame tandem pereant.

Hoc gravissimum peccatum est, quod sedulo cavendum. Vae dissolutis corde, qui non credunt Deo! Sir. 2. v. 14.

Quid vero hi Mammonae servi aliud faciunt, quam quod non credant Deo, imò desperent de Deo? Creatoris enim sui obliviscuntur, qui sine omni ipsorum praeparatione in utero matris mirabiliter eos formavit, pelle & carnibus vestivit, ossibus & nervis compegit, Job. 10. v. 11. Obliviscuntur gratiae & misericordiae ejus, juxta quam Solem suum oriri facit, super bonos & malos, Matth. 5. v. 44. Obliviscuntur manus ejus omnipotentis, quam aperit, implens omne animal beneplacito, Psal. 145. v. 16. Obliviscuntur sui ipsius, quod sine sui cura adoleverint, alias facile colligere possent, eum qui vitam illis dedit, quae ad sustentationem ejus pertinent nec sibi denegaturum. Laxatur enim ad benefaciendum nobis, Jer. 32. v. 41.

Sunt igitur, ut omnes gentes, ut Deus Judaeis exprobrat, Ezech. 25. v. 8. & licet quandoque facta synaxi utantur, tamen iudicium sibi manducant, & bibunt, 1. Cor. 11. v. 20. Sine fide enim impossibile est, placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

### De Secundo.

SEquitur *Medela*, quae fluit I. *Ex divina providentia*, quae & super volucres & flores extenditur. Hic audimus, Christum Mammonae servos ad volucres ablegare, quas Deus alit, & ad lilia cam-

campi, quæ præclare exornat, ut discant hinc, quod potius se in divina sua providentiâ descripserit, ne inopia laborent, vel pereant.

Sæpius inculcatur, quomodo Deus sanctos Patriarchas, Abraham, Isaac, & Jacob in annonæ caritate miraculose sustentaverit, Gen. 12. 10. c. 20. v. 14. c. 26. v. 1. c. 42. v. 1. item, quomodo Israelitas Manna cibaverit, & aqua è filice potaverit, Exod. 16. v. 12. nec non quomodo Moses quadraginta dies & noctes sine cibo & potu in solitudine servatus sit, Exod. 34. v. 27. ut Eliæ corvi cibum detulerint, 1. Reg. 17. v. 6, & Daniel in lacu leonum mirabiliter servatus sit, Dan. 6. v. 12.

Verùm caro & sanguis semper habet, quæ regerat. Sunt, qui sic ratiocinantur: Illi sancti fuerunt, quibus Deus beneficia hæc præstitit, intuitu Sanctitatis eorum: ego verò homo peccator sum, nec sanctis his Dei hominibus æquiparari possum. Si ita, ut colligis, Quid verò dicturus es, quod Deus & volucres alit, & quidem abjectos passeris, rapaces accipitres, scæterentes upupas, ingratos cuculos, & venenatos vespertiliones, & id genus alia? Annon horum intuitu illationem Christi disceres, dicens: Quod si Deus aves cæli pascit, nec me deserturus est, quem ad imaginem suam creavit, Gen. 8. v. 26.

Idem flores campi nos docere possunt. Subindè quidem percipimus in concionibus, quod fecerit Deus Protoplastis nostris, Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, quibus induerit eos, Gen. 3. v. 21. item quod Israelitas in deserto servaverit, ut vestimentum, quo operiti fuerunt, vetustate non defecerit, nec pes subtritus intumuerit,

Deut. 8. v. 4. Verùm quod lilia & scænum agri adedè exornet, quæ hodiè sunt, & cras in clibanum mittuntur, id majorem consolationem conciliat. Plus enim sumus, quàm lilia, meliores sumus scæno.

II. Ex divinâ munificentia, ad quam colineat Christus, inquit: Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis, nempe cibus & vestitus, & si quæ plura ad sustentationem vitæ corporalis necessaria sunt. Hoc vocat Servator *προσθηκὴν* additamentum, quod parum æstimatur in oculis Dei. Est enim dives in omnes, qui invocant illum, Rom. 10. v. 12. Habetque thesaurum ex omnimodis spiritualibus & corporalibus bonis, nunquam deficientem: sed quò plus largitur, eò plus largiri potest, sicut fons aquarum, cui non deficiunt aquæ, Esa. 58. v. 11. hæc cita altitudo divitiarum est, quam investigare non possumus, Rom. 11. v. 33. Hinc Cyprianus: *Si tu Deo non desis, quid tibi cum Deo deerit? Cum Dei sint omnia, atque habens Deum, habet simul omnia.* Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, Psal. 84. v. ult.

Quando igitur, ut filii ejus coràm facie illius comparemus, clamantes: Abba Pater, Gal. 4. v. 6. cuilibet particulam suam adjicit; cujus scit indigere ipsum, nec vacuum aliquem dimittit: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus, Sap. 6. v. 8.

III. Ex divina Magnificentia. Quia enim Regnum habet, facile hinc sequitur, quod Rex sit. Utiq; Rex, & quidem Rex Regum, 1. Tim. 6. v. 15. præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit, Esa. 40. v. 26. Proindè

h h h 3

agno-

agnoscamus eum talem, cum Davide dicentes: Tua est, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim, quæ in cælo sunt, & in terrâ, tua sunt: tuum, Domine, Regnum, & tu es elevatus, super omnes Principes, 1. Paral. 29. v. 11. 12.

Sicut autem quodlibet Regnum peculiare suas constitutiones habet, ad quas subditi conformare se tenentur: ita etiam hic Rex leges suas habet, quas servari vult. Indicabo tibi & homo, quid sit bonum. Mich. 6. v. 8. iustitia & iudicium est basis solii ejus, Psal. 89. v. 15.

Qui igitur legitimus civis & subditus hujus Regni esse cupit, hanc regulam sequatur, necesse est, Gal. 6. v. 15. & ante omnia fidelis sit Regi suo, ut serviat ei, in decore sancto, Psal. 110. v. 3. Vult enim populum, qui ad exemplum suum componat se, & sanctus sit, ut ipse sanctus est, Lev. 11. v. 44. & sanctimoniam sequatur, sine quâ nemo videbit Dominum, Hebr. 12. v. 14. imò, ejusmodi populum, qui invocet & honorificet se, Psal. 50. v. 15.

Si quis in hoc mundo ad Regia Ministeria adhibetur, pro magna gloria id reputat, sicut & reapse est, hinc Regina Arabiæ beatos deprædicat servos Salomonis, 1. Reg. 10. v. 8.

Quantò magis nos beati dicendi, quod Deus nos fecit populum suum, Psal. 100. v. 2. & per Christum redemit, Tir. 2. v. 14. ut serviamus ei in iustitiâ & sanctitate corâ ipso omnibus diebus vitæ nostræ, Luc. 1. v. 74. *Haic Domino servire, regnare est,* ait Bonaventura. Qui enim fidelis ipsi est usque ad mortem, dabit illi coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10.

Fremant igitur gentes, & adsistant Reges terræ, & consultant adversus Dominum & adversus Christum ejus, Psal. 2. v. 1. 2. Hic Rex par ipsis erit resistendo, furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. ideò faciliè nos proteget, si confidamus ipsi adversus omnes injurias, & tandem salvos faciet in Regnum suum cæleste, 2. Tim. 4. v. 18.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regalis, ut sunt

1. *Mammonismum detestare.* Ab hoc Christus ipse nos dehortatur, inquit: Non potestis Deo servire & Mammonæ.

Hoc servitium non modò intelligatur, de crassa illa idololatria, quæ Romanis usitata fuit, qui ex argento peculiarem Deum fecerunt, cui templum consecrarunt, & divinum honorem exhibuerunt, ut Augustinus memorat: sed hæc quoque Mammonæ servitus est, si aurum putes robur tuum, & obrizo dicas, fiducia mea, Job. 31. v. 24. aut divitias terrenas tanti facias, ut Deum propterea despicias, & mandata ejus negligas, quales multi inveniuntur,

1. *In Choro.* Tales sunt, qui implicant se negotiis secularibus, 2. Tim. 2. v. 4. & in avaritiâ verbis fictis de auditoribus negotiantur, 2. Petr. 2. v. 3. dum prophanant Dominum propter pugillum hordei & fragmen panis, Ezech. 13. v. 19. vel planè vendunt, ut Judas, Matth. 26. v. 15.

Hic Mammonismus multas hæreses peperit, donec tandem aureus Papiasmus invaluit, ubi Maozim colitur auro & argento, & lapide pretioso, rebusq; pretiosis, Dan. 12. v. 38. 39. Fugi-

Fugiant igitur verbi Præcones eundem, & pascant gregem Christi, non coactè, sed spontè, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, 1. Petr. 5. v. 2. Verum namque manet, illud Poëta:

Pectora nostra duas non admittentia curas,

Ubi enim cura terrenorum invalescit, cura animæ abjicitur, ut tales evadant mercenarii, Johan. 10. v. 12. Hinc Siracides cap. 29. v. 25.

2. *In Foro.* Qui munera super innocentem accipiunt, Psal. 15. v. 5. & vim faciunt causæ humilium, ut sint viduæ præda eorum, & pupillos diripiant, Esa. 10. v. 2. sicut Achab Nabatho vineam vi eripiebat, 1. Reg. 20. v. 7. quo pertinent gravissimæ exactiones, quæ variis nominibus venditantur. Unde Deus causam habet querendi: Audite Principes Jacob, & Duces domus Israel, Mich. 3. v. 1. seqq.

3. *In Foro.* Ubi inveniuntur profligatæ conscientiæ homines, qui proximum per iniquas ulnas, mensuras & stateras dolosas defraudant, imminuunt mensuram, & augment siclum, & supponunt stateras dolosas, ut possideant in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendunt, Amos 8. v. 6.

Pertinent huc sceneratores & usurarii, qui sub prætextu amicitie proximos usuris gravant, eorum bona ad se transferunt, & tandem ad stipem illos redigunt. Id enim furti species est, Deusque detestatur.

Quilibet proinde Mammonismum fugiat, & disponat negotia sua in iudicio, Psal. 112. v. 5. *Nam lucrum in arcâ damnum in conscientia.* Potius Christianus, quando à Sathana ipsi ostenduntur Regna mundi & glo-

ria ejus, dicat: Pecunia tua tecum sit in perditionem, Act. 8. v. 20. Quid enim prodesset homini, si totum mundum lucraretur, & animæ jacturam faceret? Matth. 16. 26.

II. *Librum naturæ contemplare.* Eò Servatur nos relegat, inquiens: Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neq; metunt, neque congregant in horrea. Et iterum: Considerate lilia agri, quomodo crescunt.

Quod si igitur in numero verorum Christianorum esse velimus, juxta librum Scripturæ, & librum Naturæ commendatum nobis habeamus, quod Regius Psaltes præclarè illuminat per Psalmum 104. totum, qui inspiciatur.

Idem in floribus & liliis agri videmus, quæ Deus tam eleganter exornat, ut hoc viridis illud flava, istud rubra, aliud cœrulea tunicâ indutum sit, aliud variis coloribus tam festivè distinctum, ut nullus pictor id imitari queat.

Quando itaque has & alias creaturas intuemur, & pulchritudinem earum admiramur, illum potius suspiciamus, qui omnium artifex est, Sap. 7. v. 21. tum & perpendamus, quod Veteres dixerunt: Omnia propter hominè, homo propter Deum. Ex hac ipsa causa etenim Deus hominem postremò, nempe die sextò condidit, ut hoc ipso indicet ei: esse eum epitomen & complementum omnium creaturarû, & quasi quintam essentiam: sicut experientia satis probat, quod homo non illis, sed illæ homini inserviant propter jussum Creatoris.

Sol, Luna & Stellæ ipsi lumen præbent, siquidem Deus ided eos in firmamento posuit, ut dividant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies & annos, Gen.

Gen.



Gen. 1. v. 14. Aër respirationi ejus infer-  
vit, sine quâ non vivere posset. Terra in  
commodum ejus producit plantas varias  
ad victum & amictum, volucres, pisces  
& bruta animalia cibum ipsi ministrant:  
Summa, nulla creatura nominari potest,  
quæ non adjumento sit homini, sint licet  
animalia venenatissima. Non est dicere:  
quid est hoc? aut quid est istud? Omnia  
enim in tempore suo quærentur, Sir. 40.  
v. 26. Quod si igitur omnes creaturæ pro-  
pter hominem creatæ sunt, homo hinc  
amorem Dei agnoscat, eique pro beneficiis  
ejus gratias agat: nulla etenim stellula in  
cælo est, quæ nos non inclamet: Intuere  
me, & celebra Deum, qui me tui gratia ad  
ministerium tuum creavit. Nulla avicula  
in aëre, nullum animalculum in terra, nul-  
lus pisciculus in aqua est, quin idem nobis  
ingement.

Sicut igitur 1. Irrationales creaturæ Crea-  
tori suo obsequium præstant, ubi Ministe-  
rio eorum indiget, Psal. 148. v. 7. Sir. 39.  
v. 33. Similiter id ipsum & nos præstemus,  
ne ruborem nobis incutiant, & conquera-  
tur Deus, Esa. 1. v. 3. Jerem. 8. v. 7. 1. Sam.  
15. v. 23.

Sicut 2. Creaturæ irrationales, impri-  
mis volucres & flores, quorum hinc Chri-  
stus meminit, sorte sua contenti sunt, nec  
sibi invicem invident, licet flosculus alio,  
pulehrior sit, & avicula præster altera: Sic  
& nos contenti simus præsentibus, Hebr.  
13. v. 3. nec admitemur in operibus pecca-  
torum: sed confidamus in Deo, manen-  
tes in loco nostro: facilè est enim in ocu-  
lis Dei subito ditare pauperem, Sir. 11.  
v. 22.

3. Sicut Deus creaturas irrationales in

vindictam contra nos adhibere potest:  
suntque anxia, quod propter nos vanitati  
subjecta sint, Rom. 8. v. 20. Ita summo-  
perè caveamus, ne is abutamur, & gemi-  
tum eorum excitemus: Alioqui lapis de  
pariete clamabit: & laquear ligneum re-  
spondebit, Hab. 3. v. 11. Sap. 5. v. 19.

Hoc si observaverimus, & creaturas ir-  
rationales, aves & flores Magistros nobis  
proposuerimus in hac miseriarum valle:  
aliquando ad plenam & perfectam cogni-  
tionem pertingemus, ubi neque libro Na-  
turæ, neque libro Scripturæ indigebimus,  
sed omnes à Deo docti, cognoscemus Do-  
minum, à minimo, usque ad maximum,  
Jer. 31. v. 34.

III. Regnum Dei sectare. Propterea ait  
Christus: Quærite primùm Regnum  
Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjici-  
entur vobis.

Filii hujus seculi non multùm curant  
Regnum Dei: sed plenis buccis clamant:  
O cives, cives, quærenda pecunia pri-  
mùm,

Virtus post nummos!

Ideo quæruni illi felicitatem suam:  
1. In mundi gloria, ut Nabuchodonosor,  
qui dixit in corde suo: In cælum con-  
scendam, supra astra Dei exaltabo solium  
meum, Esa. 14. v. 13. Internum eorum,  
domus suas in æternum, & tabernacula sua  
à generatione in generationem, Psal. 49.  
v. 12. Verùm vanissima vanitas & multa  
ambitio id est, Act. 25. v. 23.

2. In divitiarum copiâ. Hinc David ita  
homines qui sunt demundo, describit:  
quod eorum pars, in vita sit: quod ven-  
trem eorum impleat thesauro suo &c.  
Psal. 17. v. 14. Verùm hæc felicitas citò  
eva-

*Dominica XV. post Trinitatis.*

433

evanescit: aurum & argentum æruginar, Jac. 5. v. 3. & in calore solvetur, 2. Petr. 3. v. 10. animam non saturabit, nec ventrem implebit, Ezech. 7. v. 17. Quilibet videar, ut in Deo ditescat. Quia non in abundantia cujusquã vita ejus, ex his, quæ possidet, Luc. 12. v. 15.

3. *In vita luxuria.* Hinc Epicureorum vox: Venite & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter: quoniam hæc est pars nostra & hæc est fors nostra, Sap. 2. v. 6. Utique hæc pars & fors eorum. Regnum enim Cælorum quod mundani in carnalibus voluptatibus quærunt, tandem ab inferno absorbetur, qui dalaavit animam suam, & aperuit os suum, absque ullo termino: &

descendent fortes ejus, & populus ejus, & divites ac læti in eum, Esa. 5. v. 14.

Veri Christiani ante omnia Regnum Dei quarant, & justitiam ejus, Regnum nimirum gratiæ, quod passim Regnum cælorum dicitur, Matth. 8. 19. 20. 22. à Petro verò regale Sacerdotium, 1. Petr. 2. v. 9. sic à Regno gloriæ non excludentur, ubi justii in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum. Idèd accipient Regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini, Sap. 5. v. 16. Hoc sufficit nobis, est enim *ἡλθὲν τῆς πίστεως ἡμῶν*, 1. Petr. 1. vers. 9.

Id Deus omnibus nobis largiatur,  
Amen.

**DOMINICA XVI. POST TRINIT.**

*Evangelium Luc. 7. v. 11 -- 17.*

**EXORDIUM.**

**D**E junioribus Studiofis Hierochuntis, Elisæi discipulis memoratur, quod egressi sint ad colligendas herbas agrestes, ut famem sedarent, in annonæ caritate, quæ invaluerat. Invenieruntque vitem sylvestrem, & collegerunt ex eâ colocyntidas agri, quibus pulmentum aded amarulentum factum, ut non potuerint comedere. Detulerunt ergò id ad Præceptorem suum, dicentes: O vir Dei, mors est in ollâ! Misit ergò Elisæus farinam in ollam, & statim ab amaritudine liberatum est, ut cum voluptate pulmentum comederint, 2. Reg. 4. v. 39. seqq.

Allegoricè hoc ipso depingitur miseria, in quam humanum genus per peccata incidit, sicut & gratiosum auxilium, quod cœlestis Elisæus Jesus Christus nobis præstitit. Verè enim Protoplasti nostri lapsu suo id effecerunt, ut terra maledictione infecta sit: & ubi ante fructus jucundissimos protulit, qui hominem & corpore & anima refecerunt, ecce, jam vites sylvestres & amaras colocyntidas producit, quæ non aptæ sunt palato nostro: & quod maximum est, pulmentum nostrum tanto amaro infectum est, ut morti, ejusque prodromis variis morbis subjecti simus, juxta rigorosam sententiam, quam Deus statim

iii

post